

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



39
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO VI.

continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCΥΛΙ VI.

DE QUÆSTIONE

An Præceptum; Non
concupisces, servari pos-
sit à justis.

Proposita

In Electorali Academia VVittebergenfi

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

M. JOHANNES CASPARO Rohrba-
chio Segnicensi Franco.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 11. April.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM TERTIUM
In Augustiniani Confessionem

DISPUTATIO VI.

CONIUGII

IN ARTICULO VI.

DE QUÆSTIONE

AN PRÆCEPTUM; NON

CONIUGII SIT VARI POS-

SITUS.

IN FLORENTIA

IN FLORENTIA

PER

JACOBO MARTINI S.S.Th.

Doct. et Prof. Phil. Præceptor. Theol.

Senatore, ac Temp. Arch. Florentino.

RESPONDENTE

M. JOHANNI CASPARO ROHRBA-

chio Sacerdote Romano.

In Augustiniani Collegio

die 24. Julii 1711.

WITTEBERGÆ,
Typis Heroldum SALOMONIS ABERBACH, Acad. Typogr.
ANNO MDCCLXXI.





D. O. M. A.

Continuatio.

Sophismata, quibus nobis affingere conatur Becanus, quasi simpliciter negemus, justorum ac renatorum opera esse bona, simulq; probare, esse illa simpliciter justa & perfecta, vidimus & refutavimus; restat nunc, ut adversarij vestigia prementes ad specialiora nos accingamus, examinaturi; Pontificiorū opinionem, quā statuunt, renatos posse legi Dei satisfacere, & juxta illam omnes suas actiones perfectè informare, & sic totam illam implere. Ubi à specie ad genus, sive à partibus ad totum procedit Becanus, & primum probare attentat: Præcepta illa duo, non concupisces, & diliges Deum ex toto corde, servari posse: His expeditis, de tota lege idem convincere satagit. Nos hac disputatione de prima duntaxat speciali quæstione, & præcepto, quod de concupiscentia est, agemus.

T H E S I S I.

Progreditur ergo Becanus §. 18. ad præceptum de Concupiscentia: ostendi, inquit, contra Calvinum, non omnia justorum opera esse damnabilia, injusta, inquinata, sed quædam bona, honesta, laudabilia, Deo grata, præsertim quæ ex Dei gratia facta sunt. Nunc videndum est, an justis per hujusmodi opera possint legem servare nec'ne? Cæterum, quia præcipua difficultas est de duobus præceptis Legis, nempe de non Concupiscendo, & de diligendo Deo ex toto corde, servabo hunc ordinem,

A 2

ut pri-

ut primùm agam de præcepto, *Non concupisces*. Secundò, de altero, *Diliges Deum ex toto corde*. Tertiò de tota Lege Decalogi simul sumta. Nam si semel ostendero, illa duo in particulari non esse impossibilia, facillimum erit de tota lege idem convincere.

II. Perseverat Becanus in sua calumnia, quâ nobis affingit, quasi statuamus ac doceamus, *justorum opera per se damnabilia esse & injusta*: quod verò nobis nunquam in mentem venire potuit, cum sciamus, contrarium sacras literas satis disertis verbis docere. Statuimus ergo, docemus ac demonstramus, *justorum opera quædam bona, honesta, laudabilia, & Deo grata esse, præsertim quæ ex Dei gratia facta sunt, licet sint imperfectè bona*. Imperfectè autem bonum, absolutè malum nequaquam est, uti centies protestati sumus. Imò, si modò adversarius veras videre vellet, ut potest, consequentias, haud dubiè intelligeret, se non posse non nobiscum idem fateri, dum affirmat, tantùm quædam justorum opera, bona, honesta, & Deo grata esse. Si tantùm quædam: Ergò non omnia opera renatorum sunt bona; Ergò quædam sunt mala: Ergo concedit Jesuita, cum bonis illis operibus simul in renatis mala esse: At bona opera, quæ mala conjuncta habent, non sunt perfectè, sed imperfectè bona, juxta illud Jacobi 2.10. *quisquis totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus*. Et fateri coguntur cum Apostolo omnes renati: *volentibus nobis facere bonum, malum nobis adjacet*, Rom. 7.21.

III. Deinde in Statu Controversiæ ludit Becanus ambiguitatibus. Quod enim hîc dicit *servare legem*, id in suo manuali interpretatur per *observare*, Statumq; Controversiæ sic format: *An homo justus in hac vitâ, non quidem suis viribus, sed cum auxilio Divine gratiæ possit observare legem Decalogi: uti & capiti 12. hanc inscriptionem præponit, de observatione legis*. Ubi interim controversia non est de observatione legis, sed, *an homo renatus Legi Divinæ perfectam possit præstare obedientiam, quam ipse Legis rigor exigit?* Hoc est quod negamus. Aliud est loqui de simplici observatione Legis, aliud de perfecta obedientia.

IV. In Manuali dicit, nos nostræ negationis hanc adferre
re ra-

re rationem: quia illud præceptum; non concupisces, servari non possit; Deinde nec illud; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Denique nec reliqua præcepta, quia Lex Decalogi observatu sit impossibilis. Nugæ sunt. Hæc non adducimus, tanquam rationes ac probationes nostræ sententiæ, sed illam probaturi sic resolvimus in partes, & de singulis probamus, quod perfectè servari non possint: quo demonstrato, tota quæstio confirmata & certa est.

V. Habemus sanè alias rationes: Nempè quòd S. Scriptura idem nobiscum dicat Act. 13. 38. Notum sit vobis fratres, quòd per hunc vobis remissio peccatorum annuncietur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Moysi justificari, per hunc omnis qui credit, justificatur. Sic Act. 15. 10. Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur jugum super cervices discipulorum, quòd neque patres nostri neque nos portare potuimus Rom. 8. 3. quòd Lex præstare non poterat, hoc Deus proprio filio misso præstitit &c. Deinde quòd Legis natura id non permittat; Lex enim spiritualis est, nos autem carnales, venundati sub peccatù, Rom. 7. 14. Tertiò, quòd omnium Sanctorum confessio reclamet, Esaiæ, Jeremiæ, Danielis, Davidis, Jobi &c. Et quæ sunt aliæ causæ, quas pro nostra sententiâ stabilienda adducere solemus, certissimas, firmissimas.

VI. In Manuali pergit Becanus, & fingit nos ex præmissis à se adductis inferre, justum non obligari ad Decalogi observationem; Pura puta calumnia est, quæ delitescit in sophismate ambiguitatis, & à dicto secundum quid. Non obligari nos ad legem dicimus, ut ejus observatione debeamus ac possimus mereri vitam æternam: aliàs multis rationibus concedimus, docemus & inculcamus, nos ad observationem Legis obligari: partim propter mandatum Dei Levit. 11. v. 44. cap. 19. v. 2. Esa. 1. v. 16. Matth. 5. v. 16. Joh. 13. v. 34. partim quia est voluntas Dei, 1. Thess. 4. v. 3. 1. Pet. 2. v. 11. partim, quia Deo obedientiam debemus, Luc. 17. v. 10. Rom. 8. v. 12. cap. 13. v. 8. 1. Joh. 4. v. 11. partim quia sumus ideò per Christum redempti à peccatis, ut in posterum serviamus justitiæ Rom. 6. v. 4. 2. Cor. 5. v. 15. Tit. 2. v. 14. 1. Pet. 2. v. 24. partim, quia ideò Spiritus S. nos per Baptismum regenuit & sanctificavit, ut abjectis peccatis novum hominem induamus, & sectemur justitiam & sanctitatem, Eph. 4. v. 24. &

ambulemus Spiritu Gal. 5. v. 25. partim ut glorificent bona nostra
opera Deum Matth. 5. v. 16. partim, ut declaremus nostram grati-
tudinem erga Deum, Rom. 12. v. 1. 1. Cor. 10. v. 31. Psal. 1. v. 11. 1. Pet. 2. v. 9.
12. cap. 4. v. 11. 10. partim, quia id dignitas & reverentia Evangelij
requirit Col. 1. v. 10. Phil. 2. v. 27. Tit. 2. v. 10. 1. Pet. 2. v. 12. &c.

VII. Ex his & similibus rationibus, quæ magno numero
à nostris adducuntur, manifesta est calumnia Becani. Quando
autem dicimus, nos non obligari ad Legem eo fine, ut merea-
mur vitam æternam; non inferimus illud à Legis impossibilitate,
ut iterum mentitur Jesuita: sed à Christi satisfactione pro
nobis præstita. Revertamur ad Scholasticam Theologiam Becani:
ubi, ut promisimus, ipsum præeuntem sequemur.

VIII. Sic ergo pergit §. 19. Sit ergo hæc quæstio inter
nos & adversarios: an homines justi per auxilium gratiæ Dei
possint servare hoc præceptum decalogi, *Non concupisces*? Ut in-
telligatur, quid Calvinistæ, quid Catholici sentiant, tria specta-
ri debent. 1. Concupiscentia in actu primo, seu pronitas quæ-
dam ad concupiscendum. 2. motus concupiscentiæ in actu se-
cundo, præveniens rationem. 3. Consensus, qui à libera volun-
tate proficiscitur. Hoc posito, Calvinistæ docent, hæc omnia
esse peccata. Et quidem concupiscentiam in actu primo dicunt
esse ipsum peccatum Originale. Motum verò concupiscentiæ,
qui prævenit advertentiam rationis, & præterea consensum, qui
sequitur, esse peccata actualia, & quidem mortifera contra illud
præceptum, *Non concupisces*. Volunt enim, hoc præcepto prohi-
beri non solum consensum, sed etiam ipsos motus concupiscen-
tiæ consensum prævenientes. Unde concludunt, præceptum
hoc à nobis servari non posse in hac vita, quia non possumus
vitare motus concupiscentiæ, qui hoc præcepto prohibentur.
Sed errant.

IX. In ipsa quæstione & statu Controversiæ potissimum
urgent Pontificij gratiam Dei: nempe statuunt, quia *homines justi*
*non propriis viribus operentur, sed opera ipsorum à gratia Dei, h. e. à Spi-
ritu S. proficiscantur, ideo illa esse perfecta, & posse Legi Dei, & in specie, huic*
de concupiscentia satisfieri. Sed fallunt, & falluntur. Quandoqui-
dem

dem Spiritus Sanctus non est causa solitaria illorum, quæ in homine fiunt, sed operatur per vires humanas, quæ vitiatæ, corruptæ, & sic multis modis imperfectæ sunt: neq; intellectus in hac vita perfectè illuminatur, neq; voluntas perficitur, licet excitetur; multò minùs vires inferiores, ut supra demonstra-
vimus.

X. Distinguendum enim omninò est: Ut Concupiscen-
tia est facultas animi, quâ homo aliquid naturaliter potest de-
siderare, qualis quatenusq; est appetitus naturalis ab ipsa crea-
tione inditus: Hoc sanè modo peccati rationem nequaquam
habere potest. Atq; hinc fit, ut Concupiscentiæ vocabulùm sit
medium & commune tam bonæ, quàm malæ inclinationi vo-
luntatis, adeò ut non tantùm Apostolus carnem dixerit concu-
piscere contra spiritum, sed etiam spiritum contra carnem.,
Gal. 5. Et Christus ipse *Matth. 13. multi Prophetæ, inquit, & iusti è-
πεθύησαν concupiverunt videre, quæ videtis, & 1. Tim. 3. καλῶς ἐργασ-
σαμένοι, bonum opus concupiscit.* Imò Christus de seipso dicit *Luc. 22. v. 15. ἐπιθυμία ἐπέθύησα concupiscencia concupivi, sive desiderio
desideravi.* Et sic dici non potest, quod sit peccatum: quem-
admodum neq; cæteræ facultates dici peccatum possunt. Quic-
quid enim à Deo, & quatenus à Deo est, peccatum esse nequit.

XI. Deinde consideratur illa Concupiscencia & natu-
ralis potentia, ut determinatur vel ad bonum vel malum mo-
rale. In statu Integritatis ad bonum morale per imaginem Dei
& iustitiam Originalem erat determinata. Verùm per lapsum
primorum parentum imago Dei est amissa, proindeque à deter-
minatione illâ Concupiscencia hæc soluta & ad contrarium.,
nempè malum morale, determinata, sicque postea in posteros
propagata est. Adam enim genuit Filium ad imaginem suam
Gen. 4. 11. hic verò erat Cain, quem ait Johannes fuisse ex malo
*1. Epist. 3. v. 12. & Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum introiit in
mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transit: è φ-
ω in quo (videlicet Adamo) omnes peccaverunt.*

XII. Et ne illud de imitatione tantùm intelligatur, di-
sertè additur, *regnavit mors ab Adamo usq; ad Moysen in eos quoque, qui
non*

non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adæ. Hoc testimonium tam forte est, ut Pelagiani particulam negativam expunxerint, quam tamen Augustinus *lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione peccatorum cap. 11.* in sui temporis exemplaribus extitisse testatur. Nata autem hæc fuit Controversia in senectâ Augustini, atq; sic falsa est distinctio peccati Originis; qui in omnes peccatum quidem introiisse fateretur, sed in omnes regnasse negat. Et est hoc ponderosum, quod ad Rom. 5. dicitur: Unius delicto mortui sunt multi; item, reatus ex uno delicto ad condemnationem.

XIII. Verum hæc vocabuli ambiguitas incertum statum controversiæ efficere nequit. Quandoquidem neque ipsi Papistæ in genere agunt de Concupiscentia, sed propriè de hac ipsa, quæ corrupta est, quam designant nomine *fornicis*. Dicimus ergo vel hinc, non ipsam Concupiscentiam peccatum esse, quatenus est materialiter ab hominis natura: sed quatenus est formaliter talis ab hominis natura vitiata. Quemadmodum sanè ipsimet Papistæ hanc ipsam concupiscentiam definiunt esse verè peccatum ante regenerationem: non ratione sui, inquit *Bellarminus de amissione gratiæ lib. 5. cap. 13.* Sed ratione reatus peccati originis, qui cum ea manet annexus usq; ad Baptismum: Nos addimus, usq; ad mortem, adeò, ut in ipsis renatis eadem Concupiscentia sit peccatum, nempe propter eandem rationem, quòd eundem reatum annexum habeat & retineat, etsi alioquin per gratiam condonatum.

XIV. Et ita usitatissimum est, ut peccatum dicatur, non tantum in abstracto ipsa peccati formalitas, sed etiam in concreto, nempe de illis, in quibus formalitas peccati immediatè inest. Sic actio, quâ homicida occidit, dicitur homicidium, proindeq; peccatum. Sic adulterium quod certè actionem physicam includit: eodem modo volitio, quâ quis malum eligit, peccatum est: Et sic ipsa concupiscentia, propterea, quòd ad malam actionem moralem est determinata; haud secus ac vitium etiam, quoad actum primū est habitus, qui & *δύναμις φυσικήν*, (nempe cujus perfectio & elevatio dicitur habitus) & dispositionem

tionem includit, quæ in se & per se mala non sunt, adeo ut habitus, quatenus talis, etiam in vitio malū dici nequeat, cum id cum virtute essentialiter commune habeat; in virtute verò, ut tali nihil vitij inesse queat, & nihilominus totum illud cōplexum dicitur vitiosum, & vitiosus habitus sive peccatum.

XV. Sic dicimus quoq; cum Paulo, concupiscentiam, verè peccatum esse, etiam quoad actum primum, ad quam verò, tanquam ad habitum, non una pertinet in homine facultas: sed omnes requiruntur facultates, quibus homo ut homo agit, in anima & in corpore.

XVI. In animo ergo concupiscentia hæc est mentis cæcitas, & voluntatis perversitas. Mens enim obtenebrata nō modo actu cæcutit in rebus Divinis, sed ne capax quidem est eorū, quæ sunt spiritus Dei, portēta pro Numine concipiens. *1. Cor. 2. v. 14. Eph. 4. v. 18.* Voluntas quoq; penitus à Deo averfa est, & peccato mancipata.

XVII. In Corpore, facultatibus, quibus anima se cum corpore conjungit, maxima & monstrosa ex *αἰσθητικῆ*. Facultates enim *τῶν θυμῶν καὶ ἐπιθυμιῶν* bacchantium affectuum tempestatibus jaectantur, & à cupiditatibus, tanquam ab indomitis equis, excusso rationis freno, raptantur.

XVIII. En hæc tota hominis pravitas & deformitas, ut originalis peccati quasi forma est, sic est cōcupiscentia illa, quæ istud à S. Scriptura definitur, & in parvulis inest actu primo, ut rapacitas in catulo lupi: cum ætate verò paulatim gliscens erūpit in actum secundum, qui infelicis arboris factus est amarissimus.

XIX. Hanc concupiscentiam tribuit Paulus hominibus renatis: Ergo illam, quæ peccatum finitur, renatis quoq; tribuit. Antecedens est manifestum ex *Epist. ad Rom. 7.* Ubi Pauli mentem hanc esse, ut concupiscentiam significet peccati nomine ipsimet Papistæ fateri coguntur. *Pererius disp. 8. in hoc cap. Cajetani, Salmero, Stapletonus in antidoto,* peccatum, inquit, id est, pravitas vitiosa cordis humani.

XX. Cæterum posteriora duo pertinent ad actū secundum.

B

dum.

dum concupiscentiæ. Nempe motum concupiscentiæ in actu secundo proveniente à ratione, & consensum qui à libera voluntate proficiscitur. Nam motum illum peccatum esse nemo dubitabit, cum sit à concupiscentia; nisi quis effectum toto genere meliorem dicere velit suam causam. Idem statuendum de consensu voluntatis: Quia enim cõsentit in id, quod malum à Concupiscentia est determinatum & definitum, quomodo Consensus ille poterit esse non peccatum? Sive itaq; Calvinistæ, sive Lutherani dicant, omnia illa peccata esse, veritas est.

XXI. Prohiberi quoq; præcepto illo, *non concupisces*, non solum consensum, sed etiam ipsos motus concupiscentiæ, qui præveniunt advertentiam rationis & consensum. Non enim formalis ratio consistit in consensu sive voluntario: sed ad ejus rationem satis est τὸ ἀνοῦον, sive adsit, sive absit τὸ ἐνσῶιον. Unde etiam ipse Apostolus affirmat, se malum, quod non vult, facere. Quo sanè omnium Sophistarum strophas elidit, qui nihil patiuntur vocari peccatum, nisi voluntarium. Nequaquam ergo erramus, concludentes, præceptum hoc à nobis servari non posse in hac vita, quia non possumus vitare motus concupiscentiæ, qui hoc præcepto prohibentur. Sed Becanus cum suis Papistis in maximo sunt errore, quando hoc negant.

XXII. Nunc pergit Becanus, & suam, hoc est, Pontificiorum opinionem recenset, §. 20. Catholici contrà docent.

1. Concupiscentiam, in actu primo non esse peccatum Originale, sed naturalem quandam pronitatem seu inclinationem, quæ per se culpabilis non sit.
2. Motus concupiscentiæ rationem prævenientes non esse peccata, nec prohiberi hoc præcepto, *Non Concupisces*, sed solum Consensum. Hinc inferunt, præceptum hoc non esse impossibile, sed posse servari à justis per gratiam Dei, cum nihil aliud illo prohibeatur, quam liber consensus, qui liberè vitari potest. Hac singula paucis confirmanda sunt.

XXIII. Respondemus ad primum: Quomodo concupiscentia dicatur peccatum, id satis jam declaratum est. Si quidem non alia intelligenda est concupiscentia, quam quæ nunc est in homine, nimirum post peccatum, non verò quales & quatenus est naturalis appetitus ab ipsa creatione inditus. Sic enim
pecca-

peccati rationem non habere ultrò concessimus : Hoc verò modo licet culpabilis non sit, culpabilis tamen facta est per reatum peccati.

XXIV. Sic quoq; ad alterum sufficienter responsum est: quòd non consensus, sive τὸ ἐκείνου faciat & constituat peccatum, sed τὸ ἀνομον. Siquidem ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, 1. Joh. 3. v. 4. q. d. *illegalitas*, id est, quicquid in homine legi non congruit. Mandat enim & exigit Lex, ut homo in nobilissimis potētis talis sit, qualem eum Deus initio sibi in imaginem & fidelissimū servum, Oeconomumq; in tota illa magna domo totius mundi formavit, effigiavit sibiq; conformavit. Sic ergo intelligenda est illa sentētia: quòd quicquid sit alienum à Lege Dei, eive cōforme non existat, id sit verè peccatum, id est, tale quid, quòd pugnat cum Deo, ejusq; Lege, ipsiq; abominabile, reum ac in æternum damnabile. Ergo tantum *illegalitas* peccatum constituit: quæ, quando in actione est, vitiosa est, sive, ut diximus, accedat τὸ ἐκείνου, sive non.

XXV. Unde falsa quoq; arguitur consequentia cū sua hypothēsi, meritoq; à nobis negatur, *hominem, etiam gratiâ Dei adjutum, Legem hanc, non concupisces, servare posse*: Cū gratia divina in homine non agat immediatè, sed mediantibus facultatibus, vitio originis depravatis; neq; tantum consensus prohibeatur, sed quia in homine est concupiscentia cum omnibus suis fructibus τῶν ἐπιθυμιῶν, sive illegalibus; qui ita dicuntur, non quòd congruāt cum voluntate agentis, sed simpliciter quòd non congruant cū Lege Dei.

XXVI. Sequuntur nunc rationes, quibus suam opinionem probare conatur Becanus. Ac primò (inquit §. 21.) quòd concupiscentia in actu primo non sit peccatum Originale, evidenter cōvincitur hoc syllogismo; *Peccatum Originale tollitur per Baptismū, concupiscentia non tollitur, Ergo concupiscentia non est peccatum Originale. Major fusè probata est c. 2. quæst. 1. & alibi. Minor patet experientiâ. Nec opus est hâc herere. Solum nota, per concupiscentiam intelligi nō solum pronitatem & inclinationem, quæ est in appetitu sensitivo tam irascibili quàm concupiscibili, sed etiam illam, quæ est in intellectu & voluntate. Nam*

hæ quatuor potentia (voluntas, intellectus, & uterq; appetitus) naturâ suâ prone sunt ad quosdam motus inordinatos, & rectæ rationi repugnantes, ut v.g. Intellectus ad iudicia falsa & erronea: Voluntas ad odium, invidiam, desperationem: Appetitus sensitivus ad carnalia & terrena desideria. Hæc ergo pronitas istarum potentiarum, seu naturalis inclinatio vocari solet cõmuni nomine, concupiscentia in actu primo. Hanc formaliter negamus esse peccatum Originale, propter rationem allatam.

XXVII. Primum respondemus ad syllogismum principalem; laborate illum vitio petitionis principij. Negamus enim Majorem, uti etiam inficiamur illam probatam esse cap. 2. q. 1. & alibi. Nam neq; ibi neq; ullibi à Pontificijs probata est, neq; in æternum probari potest, cum scriptura contrarium manifestè doceat.

XXVIII. Deinde, quod fundamentum ac principium concupiscentiæ sint enumeratæ potentia, non negamus; imò probavimus: proindeq; concedimus pronitatem istarum potentiarum & inclinationem dici rectè concupiscentiam in actu primo: sed hoc non sufficit; & tantum dicit materiale concupiscentiæ. Quare adhuc repetimus & urgemus, in hac controversia non agi, vel affirmantibus ipsis Papistis, de pronitate & inclinatione in genere, sed propriè de hac ipsa, ut corrupta est, & quatenus corrupta est, ideoq; non de pronitate & inclinatione absolutè: sed de pronitate & inclinatione ad malos actus: Quæ admodum quando agitur de vitioso habitu morali, qui etiã est pronitas & inclinatio facultatum in homine: non autem quatenus agitur de habitu morali in genere, & sic materialiter tantum de pronitate & inclinatione, sed potissimum de ejus formali ratione, quæ est vel defectus vel excessus in illa, & sic determinatio ad actus moraliter malos: Sic non sufficit ad actum primum concupiscentiæ constituendum pronitas illa & inclinatio, quippe quæ saltem materiale ejus dicunt, sed oportet, ut formale quoq; addatur, quod est defectus & illegalitas, quatenus est dispositio ad actus moraliter malos: proindeq; in se mala est.

XXIX. Ex quibus liquet, concupiscentiam, rectè & totaliter acceptam, in actu suo primo & quidem formaliter,

ter, peccatum Originale esse. Ratio allata, ut diximus, nihil probat.

XXX. Nunc porrò explicat Jesuita, quid sit Concupiscentia, quando sic pergit: quid ergo est, inquires? Dicam. Est quaedam imperfectio, quae homini in puris naturalibus cōdito esset naturalis, post lapsum verò est poena seu effectus peccati primi parentis. Et à Theologis solet vocari morbus seu languor naturæ, infirmitas, fomes peccati, fons temptationum, vis appetendi immoderata. Apostolus nunc peccatum, nunc legem membrorum vocat: Non quòd ipsa per se peccatum sit, sed quia est effectus & causa peccati, ut explicat D. Augustinus l. 1. de nupt. & concup. c. 23. & l. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 13. & alibi.

XXXI. Idem ergo sentit Becanus de Concupiscentia quod Scholastici: nēpè humanam naturam primùm à Deo ita fuisse conditā, ut quia propter compositionem ex diversis partibus inter se dissentientibus constat, cōsequerentur eā incitamenta, & quasi prurigines, h. e. tales impulsus & cōcitationes, ut caro, cū sibi grata & jucunda concupiscit, contra spiritum repugnet, & à præscriptione rationis sit averfa. Illis verò puris naturalibus superadditam fuisse justitiā originālē, tanquam donū supernaturale, in hunc finem, ut carnis lasciviam & petulantiam comprimeret, omnes sceleratos animi motus prohiberet, & omnes cū animi tum corporis facultates & partes in officio contineret. Jam verò quia originalis justitia amissa est, carnem quasi equum sine freno ferocibus cupiditatibus rapi: Atque ita concupiscentiam non quidem per se peccatum esse, sed quia nō amplius justitiā originali cohibeatur & comprimatur, inde fieri peccatum: ut ita a motio & privatio justitię originalis proprię haberet peccati rationē, imò sit ipsa peccati originalis forma, ex qua ipsi etiam concupiscentiæ insit ratio peccati. Quando ergo in regeneratione datur spiritus renovationis, ut spiritus repugnet carni, tum concupiscentiam ipsam per se non amplius esse peccatum, ut quę sit ipsius naturæ conditio, modo cohibeatur & comprimatur.

XXXII. Atque hoc etiam est, quod dicit Bellarminus lib. 5. de amiss. gratia & statu pec. c. 8. Dicuntur à S. Basilio naturales immoderati

derati concupiscentie motus, non quod fuerint in natura nostra ante peccatum, vel quasi non sint pœna peccati, sed quia futuri fuissent in natura nostra, nisi Deus eam supernaturali dono iustitiæ originalis ornasset: & jam dono illo per peccatum amisso natura nostra ad eum statum redierit, in quo futura fuisset, si in puris naturalibus condita esset.

XXXIII. Verùm totus hic error ex eo est, quòd Pontificii sibi imaginantur, imaginem Dei sive iustitiam originalem fuisse in primis parētibus donum aliquod supernaturale, naturæ humanæ superadditum. Quod verò falsum est. Fuit enim in illis tam naturalis qualitas, quàm ipsa natura & forma substantialis per creationem accepta: quandoquidē nulla substantia sine qualitatibus & accidentibus est creata, & quidem perfectissimis, non imperfectis.

XXXIV. Sententia hæc multiplici tum Scripturæ, tum rationis, fidei analogæ, præsidio firmatur. Primū enim negari non potest, siquidem ex Mosis narratione constat, imaginem Dei ad operis illius θεοτεύκτος cōstitutionem & principia interna pertinuisse, neq; etiam suis caruisse qualitatibus: has Paulus docet fuisse iustitiam, sanctitatem & veritatem *Eph. 4. v. 23. 24.* quæ si in corrupta & collapsa natura sunt instaurandæ & renovandæ; utiq; sequitur novas integrasq; fuisse in stante & integra natura; atq; ex primigenia imagine, ut solent accidentia, ex substantiis suis, confestim emicuisse. Ex quo irrefragabiliter sequitur, iustitiam illam originalem in primis parentibus fuisse verè naturalem, recteq; dici eo sensu, quo naturalia & supernaturalia *αὐτομάτως*.

XXXV. Ut enim habitus sunt facultatum naturalium perfectiones, non supernaturales, sed quæ ad illarum naturam pertinent: si enim homo lapsus non fuisset, perfectiones illæ in ipsis per se fuissent, sine ullo externo exercitio, & quidē in lōgè excellentiore gradu, atq; hodie summo studio ac labore acquiruntur. Sic quoq; facultatum humanarum perfectio erat illa Iustitia Originalis, nempè fulgebat in mente Lux, quâ verū à falso, bonum à malo interno sceret, eaq; prælucente voluntas illud amplectebatur, illud averfabatur: inferiores verò partes morigeras

geras sese præbebant, ita ut id demum appetere, quod & quomodo illa, tanquam magistra ac princeps appetendum esse dictitasset. Quæ sanè omnes fuerunt naturales actiones, & quidem perfectæ: siquidè in facultatib. nulla omnino erat imperfectio, ut fingunt, non sine pessimo absurdo, Becanus & cæteri Jesuitæ.

XXXVI. Confirmat nostram sententiã maximè, quod Ecclesiastes testatur c. 7. v. 20. *Deum fecisse hominẽ rectum.* Quæ sanè totius ædificii rectitudo omnẽ obliquitatem & distorsionẽ respuit. Et Moses testatur, *omnia, quæ Deus fecerat, fuisse valdè bona: non imperfecta, non morbida aut languida Gen. 1. v. 31.*

XXXVII. Si etiam naturale illud dicitur, & quidem *non* *ejus*, quod nõ alicui Individuo, sed toti speciei à natura inest; utiq; nullus dubitationi erit locus, quin Justitia originalis in Adamo fuerit naturalis: quippè quam non acceperat ratione Individui, sed totius speciei sive posteritatis respectu.

XXXVIII. Confirmatur idem ab ejus opposito, nempe à peccato originali. Nam ut hoc naturale huic corruptæ naturæ, sic illa integræ. At verò gratiæ dona, esse naturalia & hæreditaria, cumq; carne & sanguine in singulos propagari homines, non minus est absurdum, quam pullos equinos nasci frenatos: quemadmodum cum freno originalem justitiam comparant Papistæ, cujus lupato vagi & effrenati carnis impetus in gyrum rationis cogantur.

XXXIX. Probatur etiã sententia nostra à fine hominis. Si enim conditus erat, ut Deum agnosceret & coleret; certè naturales quoq; vires, quib. id præstaret, habebat, nisi forsã dicere velimus, Deũ, quod singulis reb. à se creatis per naturã contulit, nempe ut idoneis virib. ad suas operationes edendas pollerent, uni homini, i. e. operi longè præstantissimo invidisse & negasse.

XL. Ut autem Adam ejusq; voluntas id à natura habebat, ut justè sanctèq; operari posset: sic ut reapse operaretur, Deumq; supra omnia amaret, efficaciter movebatur à Gratia. Quemadmodũ enim vitis non propterea caret vi naturali ad proferendũ vinũ, quòd exteris illi opus est auxiliis, puta sole, pluviis & culturã ut actu proferat: sic & in primo homine non ideò naturalis non fuit volũtaria rectitudo & affectuum *in* *Gratia*, licet in actu
secun-

secundo gratiæ moventis auxilio excitaretur & adjuvaretur. Quocirca licet naturalem perfectionē in omnibus viribus integri Adami defendamus, non tamen propterea spiritualia dona negamus.

XLI. Quod autem objiciunt, naturale esse corpori animato, concupiscere bonum sensibile: Naturale item spiritui, concupiscere bonum spirituale: Quare si duæ illæ dissidentes naturæ in unum coalescant, naturale fore illi, quæ inde conflata est, ut diversis & inter se pugnantibus conflicteretur propensionibus. Quod verò primi parētes in statu integro hunc conflictū nō sint experti, adventitii doni, Justitiæ scilicet, illius originalis fuisse, non naturalis conditionis: Hæc, inquam, objectio facilè solvitur.

XLII. Cogitare enim debebant, non esse tres animas in homine, sed unā, quæ habeat tres facultates, unam propriam & specificam, nempe rationalem: & duas cōmunes, sensitivam cū bestiis, vegetativā cum his & plantis. Ut igitur hæc quoq; cōmunes facultates in homine sunt spiritualis naturæ facultates, nempe animæ hominis: sic etiā illas sibi non modo congruentes, sed omninō proprias facit: adeo ut illarū operationes non sint brutæ sed humanæ, proindeq; homo non imitar plantæ vel pecudis crescat, augeatur, gignat, sed humano modo illa agat: sic & sentiens facultas per rationalem ita coarctatur, ut fiat particeps rationis, proindeq; ex natura humana, quamdiu illa incorrupta, non nisi secundum rationem, qui propriè humanus est modus, appetat & concupiscat.

XLIII. Cæterum, quod Becanus porrò addit, concupiscentiam quoq; post lapsum non esse peccatum, sed pœnā sive effectum primi parentis, facilè his rationibus refellitur 1. quia non est ex Patre 1. Joh. 2. v. 16. à quo tamen est pœna. 2. quia peccatū ex se gignit Jac. 1. v. 15. ac proinde ex fructu arboris cognoscitur natura. 3. quia Legi repugnat, tam naturali quàm scriptæ Rom. 7. v. 7. 4. quia defectus ille fatentibus ipsis Pontificiis, spectatur in carnis adversus spiritum lascivientis petulantia: Quare fieri nō potest, quin ἀταξία hæc cōjuncta sit cū ἀνομία, siquidē vera sunt, quæ de membrorū suorum νόμῳ ἀπειθεύουμένων τῷ νόμῳ τοῦ νοῦς cōmemorat Paulus, idq; μάλα παθητικῶς, Rō. 7.

XLIV. Cui concinens Johannes Ep. 1. c. 2. & de cupiditate carnis κατ' ἀρσιν καὶ θεσιν differens, eam ex Patre sive Creatore esse pernegat, sed ex mundo, nempe per peccatū corrupto, ortum disertè affirmat: Ac proinde, qui eam ne nunc quidem peccati rationem habere contendunt, planè cum ratione insanunt, & ut omnia conentur, nunquam effugient, quin Deum peccati autorem faciant.

XLV. Esse autem & dici Concupiscentiam non tantum morbū, infirmitatem, fontem peccati, & peccatū ipsum effectivè, sive quia est effectum & causa peccati, sed esse reverà peccatū formaliter, patet manifestis rationibus ex Scriptura petitis: Sic ergo argumentor; Omnis ἀνομία est peccatū propriè & formaliter dictum: Concupiscentia est ἀνομία: Ergo Concupiscentia est peccatum propriè & formaliter dictum.

XLVI. Major sine dubio est verissima. Sic enim Joh. 1. Ep. c. 3. v. 4. Omnis qui committit peccatum, idem & ἀνομίαν committit: Nā peccatum est ἀνομία. Inde fit, ut ἀνομίαν pro peccato semper legas in scriptura Matt. 7, 23. c. 13, 41. c. 23, v. 28. c. 24, v. 12. Rom. 4, v. 7. c. 6, v. 19, 2. Cor. 6, v. 14. 2. Thess. 2, v. 7. Tit. 2, v. 14. Heb. 1, v. 9. c. 8, v. 12. c. 10, v. 17. Sic in veteri Testamento **יְחַטְּאוּ** Thren. 1. v. 8. Ps. 32. v. 1. Es. 58. v. 1. Jerem. 50, v. 14. Ezech. 16, v. 51. Ezech. 18, v. 4. Exod. 5, v. 16. Levit. 5, v. 15. Unde Augustinus de cōsensu Evangelistarum lib. 2. c. 4. peccatū est Legis transgressio. Ambros. de Paradiso c. 3. Quid est peccatum, nisi prevaricatio Legis Divina? Dominicus à Soto in 7. ad Rom. Peccatū neq; cogitari potest, nisi contra legem. Minor cōstat disertissimis verbis Legis Exod. 20. v. 16. Quæ verba Paulus c. 7. ad Rom. interpretatur de ea ipsa cōcupiscentia, quam esse peccatum Papistæ negāt; Imò hanc peccatū non cognovisse dicit, nisi per Legem: Nam etiam cupiditatem non nossem, nisi Lex dixisset: non concupisces. Quorum verborum hic est sensus, nō ut simpliciter neget, sibi cognitam fuisse concupiscentiam, sed ut neget, se scisse eam esse peccatū, ut si novit, & consentit Dominicus Soto in hunc locū sic scribens: non intelligas, quod absq; lege non sentitur concupiscentiæ illecebra; presentunt enim & beluæ, sed quod nesciebat esse peccatum, nisi Lex diceret, &c. imò omnes interpretes unanimiter sic statuunt.

XLVII. Quod autem hic distinguunt, uti etiam hoc loco Becanus inter ea, quæ adversatur Legi Dei effectivè, & aliâ, quæ formaliter: magni momenti non est. Non enim concupiscentia dicitur tantum effectivè peccatû, ut sibi imaginatur Becanus & cæteri Jesuitæ, sed formaliter, ut homicidium, ut furtum, ut adulterium formaliter peccata dicuntur. Non enim ut *ἀνομιᾶ*, sic *ἀνομία* potest distingui efficienter sive formaliter. Diabolus quidem, quem ut exemplum adducit Bellarminus de amissione gratiæ lib. 5. cap. 14. *ἀνομιᾶ*, iniquus & peccator est, non verò *ἀνομία*.

XLIIIX. Non autem sine causa quæritur de verò sensu hujus distinctionis, & quidem, an nihil possit dici peccatû præter simpliciter & abstractè *ἀνομίαν*. Id sanè Sophistæ sibi velle videntur: sed contra totum sensum communem, quo peccata semper appellantur in concreto, hoc est, nō tantum pravitas sive qualitas denominans, sed etiam id, cui illa inhæret, ut homicidium, cæteraq; peccata omnia, quæ allegavimus, & similia: & sic opera mala vulgò & cōmuniter peccata nuncupantur. Quid? quòd nullibi in S. Scriptura *ἢ ἀνομία* in illa Sophistarum abstracta significatione legatur, sed semper in hac nostra concreta: ut sit actus aliquis naturæ intelligentis præter Legem divinam.

XLIX. Testor ipsas Papistas: qui sanè concedunt, concupiscentiam in renatis peccatum esse: quæro: formaliter nē an efficienter? Sanè non efficienter. Nam ita tantum peccati rationem habere in renatis dicunt. Ergo certè formaliter: si autem hoc, & manet concupiscentia in renatis: quid nī etiam in illis formaliter peccatum fuerit?

L. Adhuc autem inculcamus, quod concupiscentiã veri & proprii nominis statuamus peccatû: non ita quidem, ut ipsã illam concupiscentiã, quæ est hominis nō nisi à creatione, dicamus esse ipsam formalitatē peccati. Nō enim ita insanimus: sed quia & quatenus sibi proximè & immediatè inhæretem habet formalitatē peccati; & *concupiscentia carnis* dicitur. Quæ sanè denominatio semper in malã partem accipitur, adeò ut nunquã sit non peccatum, velut homicidium, homicida. Quæ etiã semper in malã partē acceptantur. Hinc licet & carnifex, quando homici-

mucidam legitimè ad mortē damnatum occidit, vel etiā miles, quando in legitimo bello fortiter pugnat, hominem occidit, nō tamē propterea neq; ille neq; iste homicida est vel dicitur. Sic licet sub cōcupiscentia carnis subsit concupiscentia naturalis, & interdū legitimè concupiscat, non tamen idem est, quod cōcupiscentia carnis. De hac agimus. hæc semper peccatum est: hoc est, concupiscentia non ut simpliciter facultas naturæ intelligentis vel rationalis est, sed qualis jam post lapsum est.

L I. Tangit quoq; Becanus distinctionem Pontificiorū in qua distinguunt inter concupiscentiam, ut est fomes, & ut est actus voluntarius concupiscendi: quam ita effert Pererius, quod concupiscentia aliàs dicatur, quatenus est simpliciter & præcisè carnalis & sensitiva: aliàs verò quatenus à ratione approbata, & voluntati placita: hancq; prohiberi aiunt lege & mandato: non concupisces; illam verò neq; peccatum esse, neq; prohiberi.

L II. Sed nos simpliciter negamus illā distinctionem, cum nulla omninò cōcupiscentia detur, quæ actus voluntatis nō sit. Voluntariū enim est duplex, vel simpliciter volūtarium, vel deliberatū. Hoc est, quod præcedit ratiocinatio & sic cōsultatio, & ex hac est. Illud est, quod nulla præcedit cōsultatio, ideoq; ex sola imaginatione est, quæ rem repræsentat, in quam statim voluntas absque ulla deliberatione fertur. Concludimus hinc omnem concupiscentiam esse voluntariam, licet nō semper deliberativè; semper tamen altero modo. Et ratio est cettissima: quia ipsa concupiscentia est inclinatio voluntatis. Et longè aliter quoq; se habet appetitus sensitivus in irrationalibus & rationalibus: Ibi est sine omni ratione: in his verò est rationis particeps. Ubi autem rationis est participatio, ibi quoq; voluntatis: siquidem hæc illam sequitur, ut appetitus sensitivus sensum.

L III. Quid? quòd ipsimet adversarij concupiscentiam non simpliciter negāt esse peccatū: sed tantū *κατὰ π*, nēpè in renatis. Cōcedunt utiq; peccatū esse in infidelibus: Eandem verò illam quæ erat in infidelib., manere in renatis docemus nos ex Scriptura. Quid nī ergo dicamus eā voluntariam esse? Ponunt enim Pontificij, quod negari nō possit, omne peccatum esse voluntariū, tam necessarium, ut peccatum nō sit, si voluntarium non sit.

Ergo necesse est adulterium concedant Papani, aut omnē concupiscentiam esse voluntariam: aut non separari fideles ab infidelibus. Si enim simpliciter non est voluntaria, E. neq; in infidelibus. Itaq; mittenda Pontificiorum thesis, & ponendum, concupiscentiam neq; in infidelibus neq; in fidelibus peccatū esse. Quod verò absurdissimum esse fatentur ipsimet adversarii.

LIV. Cum ergo constet, quòd concupiscentia ex deliberatione utrinq; sit peccatū, ac propterea à Lege prohiberi; quæritur nunc de altera, quam itidem nos dicimus à Lege prohiberi. Nō enim Lex distinguit inter hanc & illam, sed simpliciter & sine ulla limitatione dicit, non concupisces, neq; ulla Scriptura distinguit. Quod adeò verum est; ut Spiritus S. in scripturis loquēs nullibi concupiscentiam vel concupiscentiæ actum sumat in bonam, sed semper in malam partem; nisi quando expressè loquitur de illa quæ in homine est per gratiam, & à Paulo spiritui tribuitur. Ubi autem nullam facit Spiritus S. distinctionem, ibi nostrum non est coercere Scripturam nostro sensu.

LV. Quod attinet Augustinū lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 23. & lib. 1. cōtra duas Epistolas Pelagianorū c. 13. Dicit quidem in priore loco concupiscentiā in renatis nō esse peccatum, quando illi ad illi-eita opera nō consentiunt. Atq; sic negat concupiscentiam esse peccatū, sed nō sensu Papistico, sed suo proprio, intelligēs peccatū mortiferum. Peccatum enim propriè contractum est cum reatu, ideoq; omne peccatū per se reum efficit eū, in quo est. Secundū hanc ergo proprietatē negat Augustin. concupiscentiam esse peccatum, cūm ejus remissus sit reatus. Absolutè verò non negat concupiscentiā peccatum esse, ut in eodē allegato lib. 1. c. 25. ex hac concupiscentia, inquit, quæ licet in regeneratis jū non deputetur in peccatū: tamen natura nō accidit, nisi de peccato. Et ibid. c. 25. in initio: si queratur quomodo ista concupiscentia carnis, (en nō dicit concupiscentia absolutè, sed concupiscentia carnis) maneat in regenerato, in quo universorū facta est remissio peccatorū, quando quidem per ipsam seminatur, & tū ipsa carnalis gignitur proles parētis etiā baptizati: aut certè si in parente baptizato potest & esse, & peccatū nō esse, cur eadē ipsa in prole peccatū sit? Ad hæc respōdetur dimitti concupiscentiā carnis in Baptismo nō ut nō sit, sed ut in peccatū non imputetur. Quantiūvis autem reatu suo jū soluto, manet tamē donec

donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem. Et ibid. c. 26. In eis ergo, qui regenerantur in Christo, cum remissionem peccatorum accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique, necesse est, ut reatus etiam hujus licet adhuc maneret concupiscentia remittatur, ut in peccatum, sicut diximus, non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quae manere non possunt, quonia cum fiunt praeteriunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur in aeternum manebit, sic illius concupiscentiae, quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim, non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, verbi gratia, fecerit adulterium, etiam si nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsi indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quam vis illud quod amisit iam non sit, quia cum tempore, quo factum est, praeteriit. Nam si a peccato desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret scriptura, Fili peccasti: non adjicias iterum: Non autem sufficit, sed addidit, & de pristinis deprecare, ut tibi remittatur. Manent ergo nisi remittantur. Sed quomodo manent, si praeterita sunt, nisi quia praeterierunt actu, maneat reatu. Sic itaque fieri est contrarium potest, ut etiam illud (nempe peccatum) maneat actu, praeteriunte reatu &c.

LVI. Quem locum ex August. integrum adscribere volui, cum eo satis clare & disertè suam exprimat sententiam: nempe quod non neget concupiscentiam peccatum in renatis, quoad actum, sed tantum quoad reatum. Expressè enim dicit, quod quemadmodum actuale peccatum transeat juxta actum, maneat verò in non renatis reatu; sic peccatum, quod est concupiscentia, maneat quidem in renatis quoad actum, transeat autem quoad reatum: Et quod peccatum non habere ipsi, perinde sit, ac reum non esse peccati. Quae si observentur, facile ad omnia loca, quae magno numero allegat Bellarminus & alij Jesuitae, respondere possumus.

LVII. Pergit Becanus §. 22. Jam verò quod motus concupiscentiae ratione praeveniētes, non sint peccata mortalia, nec prohibeantur illo precepto, Non concupisces, sed solus consensus, facile probari potest. Nam ipsa Scriptura sic interpretatur. Quod enim uno loco dicit, non concupisces, alibi explicat, Ecclesiastici 5. v. 2. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui. Et c. 18. v. 30. post concupiscentias tuas non eas. Et Rom. 6, v. 12. non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Certè in his locis sermo est de consensu.

LII X. Primum demonstratum jam est, quod etiam motus illi concupiscentiae ratione praevenientes sint peccatum. Quia 1. ut diximus, Lex sine discrimine dicit, non concupisces. 2. Deinde sunt illi ipsi motus voluntarii: fertur enim voluntas in objectum, licet id fiat sine deliberatione mentis sive rationis.

LIX. Deinde quae est consequentia: Ecclesiast. dicit: *ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.* Ergo concupiscentia non est peccatum? Cur non eodem modo arguamur, Lex praecipit ne imiteris sive sequaris adulterium, Ergo adulterium non est peccatum. Eadem est consequentia in altero dicto. Imo propterea prohibemur ire post concupiscentias, ne peccatum peccato cumulemus, cum potius concupiscentiis illis malis resistere debeamus. *Rō. 6, v. 12.* tantum abest, ut Apostolus concupiscentias esse peccata neget, ut potius id manifeste dicat. Fecit enim certos peccatorum gradus. Primum enim meminit ipsius mali originis, quod vocat peccatum, & hortatur ne id regnet in nobis. 2. Cupiditatem ejus addit, quibus hominem incitet ad committenda peccata 3. gradus est, obedire illis cupiditatibus, & in externa facta proferre. Et quidem ut peccatum originis non sit in nobis id in hac vita non possumus consequi. Ne etiam homo renatus sollicitetur cupiditatibus peccati originis, neque illud potest per omnia cavere. Tertium vero est, quod a renato Paulus alienum esse vult, ne nimirum per cupiditates illas a peccato originis objectas se patiatur propelli ad obediendum illis per peccata actualia externa. Hac enim ratione cervicem rursus submitteret crudelissimo tyranno, e cujus potestate ac jure erat liberatus. Ergo peccatum originis in ipso suo actu primo hic expressè peccatum dicitur: Ergo multo magis erunt peccata cupiditates, inde tanquam *ἐνέργεια* dependentes.

LX. His subjicit Becanus §. 23. quaedam loca Augustini: verum aut agit Augustin. illis non de peccato simpliciter, sed tantum de peccato, quod in renatis non sit mortale, aut sibi contradicit. Quod verò tanto Doctore non facile tribuendum.

LXI. Objicit porro Becanus duo argumenta, quibus multum tribuit. Accedunt, inquit, duo efficacissima argumenta. Primum est: *Deus suo precepto non obligat nos ad id, quod non est in nostra potestate, sed non est in nostra potestate, vitare motus concupiscentiae ratione praevenientes, Ergo*
Deus

Deus suo præcepto nõ obligat nos ad eos vitandos. Minor per se notã est. Major probatur, quia esset stulta & crudelis obligatio. An non stultũ est, obligare alium ad id præstandum, quod præstare non potest? Annon crudele, punire illum, quia non præstiterit, quod præstare non potuit? Perindè est, ac si famulo tuo imperes, ut non esuriat, non sitiatur, non frigeat, non caleat, & nisi obtemperet, crucem ac supplicium intentes.

LXII. Respondemus, in argumento illo nullam esse efficaciam. Major enim laborat fallacia à dicto secundum quid, ideoque limitanda est: Deus nõ obligat nos ad id, quod ita non est in nostra potestate, ut neque in nostra potestate esse potuerit. Si jam ita subsumatur: Atqui vitare motus concupiscentiæ rationem prævenientes ita non est in nostra potestate, ut nunquam in nostra potestate esse potuerit: Et concludatur, Ergo ad vitandos motus concupiscentiæ rationem prævenientes Deus nos non obligat. In hoc syllogismo concedimus Majorẽ, & Minorem negamus. Quandoquidè licet motus illos jam post lapsum non habeamus in nostra potestate: tamẽ habuimus illos in illa perfectè in statu Innocentiæ: Quandoquidè homo Legẽ Dei perfectè implere poterat. Quia autẽ perfectionem hanc per lapsum homo propriam culpam amisit: Deus propter vitium nostrum & mutabilitatẽ præcepta sua æterna & immutabilia mutare, neque vult neque tenetur. Ideoque hic nulla vel stultitia vel crudelitas, sed justa justitia & summa sapientia. Simile adductum est dissimillimum. Quid verò opus est, ut Jesuita ex suo cerebro fingat similia, cum dudum illa dederit ac proposuerit ipse Christus? Illa ergo adhibeamus, illis negotium hoc declaremus.

LXIII. Talis est *Matt. 18, v. 23. & seqq.* parabola de servo, qui debebat Domino decem millia talentorum, h. e. sex milliones coronatorum; & licet non esset solvendo, postulabat nihilominus Dominus solutionem. Ergo postulabatur quod non fuit in istius hominis potestate, debebat verò esse. Nõ ergo poterat se excusare, quòd non esset solvendo, quod non esset in sua potestate tantum debitum solvere: sed simpliciter ad misericordiam Domini ipsi fuit confugiendum, & debitorum condonatio petenda.

LXIV. Alterum argumentum, quod desumitur à qualitibus repugnantibus: si homo in puris naturalibus fuisset à Deo primitus

mitus creatus &c. Non opus est ad scribamus; Jā modò enim à nobis est refutatū, & simpliciter hypothesis illa Pontificiorum & Scholasticorū negata. Sanè Apostolus jubet *Eph. 4, v. 24.* ut renovemur ad imaginē Dei amissam: Et alibi improbat luctū carnis adversus spiritum *Gal. 5, v. 13.* ut sit sensus, ad perfectā Imaginis Dei restorationem necesse est, ut hæc pugna planè aboleatur: non ut non maneat, sed ita ut illi non assentiamur, & sic peccati rationem non amplius habeat, ut sine ratione & scriptura fingunt Jesuitæ.

LXV. Quæ ex Calvino objicit §. 26. non sunt magni momenti. §. 27. pergit: ex dictis colligo contra Calvinistas, hoc præceptum, Non concupisces, servari posse in hac vita ab homine justo. Nō enim illo prohibetur motus concupiscentiæ, rationē præveniens, qui vitari nequit, sed consensus voluntatis, qui est in nostra potestate. Idē convincitur ex illo *Sap. 8, v. 21.* Et ut scivi, quoniā aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominū & deprecatus sum illum, q. d. Scio Domine, quòd quando insurgūt in me motus concupiscentiæ, nō possum eis resistere, & continens esse, nisi tua gratia me adjuvet. Supponit ergo, posse aliquem esse continentē & resistere illis motib. ut non consentiat, si adsit Dei gratia. Eodē spectat illud Apostoli *2. Cor. 12, v. 7.* Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, ut mihi colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet à me: & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea.

LXVI. Primū respondemus: colligere quidē Becanum suam sententiā, sed violēter sine ulla consequentia. Deindē, addita ratio, non prohiberi præcepto divino motus concupiscentiæ rationē prævenientes, petit principiū. Quandoquidē ista concupiscentia inordinata Lege prohibita vocatur ab Apostolo *Rō. 7, v. 7.* & seqq. sæpissimè peccatū. Et det nobis Becanus inordinatā concupiscentiam ad malum, quæ Lege prohibita non sit. Nunquam dabit: det nobis concupiscentiam inordinatā ad res malas Lege divinā prohibitas, quæq; mater omnium sit peccatorū, & tamen non sit peccatum. Tū dabit, cum attulerit vitiosum habitum moralē, qui vitium & sic peccatum non sit. Si ergo concupiscentiæ hic actus primus nō potest non esse peccatū: quomodo peccata non erunt motus inordinati, sive rationē præveniant, sive sequantur. Proficiscuntur enim inordinati à rationali & voluntate prædito homine, atq; sic non planè sine ratione, neq; planè sine voluntate, cum etiam inferiores facultates in homine sint rationis per communicationem participes.

F I N I S.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







39

I TERTII
in Confessionem

ATIO VI.
inens
ARTICVLI VI.
ESTIONE

otum; Non
s, fervari pos-
justis.

posita
ademia VVittebergenfi
S I D E

MARTINI S.S. Th.
Primario, Facult. Theol.
pli Arcis Præposito,

NDENTE
CASPARO Rohrba-
icensi Franco.

Collegii Veteris
m 11. April.

EBERGÆ,
IS AUERBACH, Acad. Typogr.
M DC XXX.